

designate, sicut quod videtur a longe videtur in confuso, sed nondum explicite determinatur, licet actu includat illud. Et hoc ob duplicem rationem, tum quia individuatio seu singularitas habet se ut differentia ultima: conceptus autem differentiae non contrahitur per aliam differentiam, nec est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differentiale, ne sit processus in infinitum, ut diximus. Non potest ergo singularitas abstrahere ab hac et illa singularitate, quasi conceptus contrahibilis per additionem differentiarum, sed ut conceptus magis confusus, vel magis expressus ejusdem simplicis differentiae. Tum quia quando concipitur singularitas in communi, non restant alia principia individuationis ad designandum et contrahendum illud singulare, et ad singularizandum amplius: ergo jam in illo conceptu singularitatis includebatur actu hoc singulare, quia principia individuationis ejus ibi includebantur, sed nondum designatio exprimebatur.

Quare conceptus ille communis se habet ut transcendens, seu per modum conceptus differentiae, qui non est resolubilis in duos conceptus, alterum genericum, alterum differentialem, sed eodem conceptu concipitur in communi penes conceptum confusum, et in particulari penes magis determinatum et explicitum.

XXVI. Quod si quæretur, an sit analogum, respondeo non esse, quia analogum requirit inæqualitatem in participantibus illud, ita ut in uno sit simpliciter, in alio secundum quid; in uno per attributionem et denominationem, in alio essentialiter. Singulare autem seu singularitas in communi, non respicit inferiora, scilicet hoc et illud singulare designatum ut inæqualia, quia omnia singularia æqualia sunt,

non solum in natura, sed etiam in singularitate, non unum secundum quid, et aliud simpliciter. Habet tamen modum analogi, quantum ad hoc quod est includi in inferioribus et per modum transcendentis se habere ad omnes modos inferiores; sed quia illa inferiora non sunt inæqualia, non pervenit ad rationem analogi simpliciter. Quod autem diximus de singularitate, eodem modo dicimus de persona, quæ est terminatio singularitatis. Et a fortiori dicimus de Personis divinis, quia Personæ divinæ sunt omnino æquales, et ita licet Persona divina in communi includatur intime in ipsa determinatione et differentia inferiori, quia tamen inæqualitatem non habent, nec ipsa ratio communis inæqualitatem facit, analogum non est.

Nec obstat quod illæ Personæ determinatæ, seu singularia sint primo diversa, quia sunt primo diversa ut omnino æqualia in esse, et solum in oppositione correlativa primo diversa, et ita ratio communis inæqualitatem non causat, quod est non esse analogum, sicut ens respectu Petri et Pauli, seu duorum individuorum ejusdem speciei non est analogum in esse, quia inferiora in esse sunt omnino æqualia; et ideo iste conceptus communis singularitatis habet aliquid de analogo in quantum se habet tamquam transcendens, et aliquid de unico, ut dicit æqualitatem inferiorum, et ita reductive est universale univocum, non simpliciter.

Quod vero sit conceptus essentialis persona in communi, et individuum in communi respectu hujus et illius, ex dictis manet probatum, quia est prædicatum quidditativum persona in communi, respectu hujus et illius personæ, si quidem est formale constitutivum ejus, et prædicatum intrinsece et necessario

connexum: nec enim potest defini-ri aut concipi constituta hæc persona, et hoc singulare, nisi includendo personam in communi.

ARTICULUS II.

Utrum detur in Deo subsistentia absoluta præter tres relativas?

I. Ne quæstio ista solum reddatur de nomine, an videlicet illud, quod tribus relativis Personis et subsistentiis commune est in Deo, sit vocandum subsistentia, an non, supponimus circa ipsam rem significatam nomine subsistentiæ quatuor considerari seu inveniri.

Primum, est singularitas, quia res in universali non subsistunt, sed secundæ substantiæ mediis primis subsistunt et substant.

Secundum, est incommunicabilitas, ut in supposito, seu persona, quæ est totaliter, et complete subsistens, ubi invenitur sic naturam subsistere in supposito, quod ulteriori termino in quantum sic suppositata et terminata, communicabilis non est.

Tertium, est modus existendi per se, qui etiam solet vocari subsistentia, distinguiturque ab ipsa suppositualitate ut incommunicabili, sicut videmus in anima rationali, quæ est per se subsistens separata a corpore, nec tamen est suppositum, aut persona incommunicabilis, sed est forma unibilis.

Quartum, est ipsum concretum naturæ per modum habentis ipsam, quod est explicare naturam non solum per modum principii quo, et per modum formæ, qua aliquid constituitur, ut deitas, humanitas, sed etiam per modum quod, seu habentis naturam, ut Deus homo; nam homo sumptus in communi et sine

suppositis etiam est in concreto habens humanitatem.

II. Igitur apud omnes primo certum est, quod remotis subsistentiis relativis, et considerata forma deitatis secundum se, est aliquid singulare, quia non est aliquid universale, sed habet unitatem singularem a parte rei, si quidem a parte rei est unus Deus in tribus Personis, ut docet fides. Unitatem ergo singularem a tribus Personis non habet, sed ex se unus Deus singularis est: sicut ex se et non a Personis singulare et determinatum esse habet.

Secundo, certum est quod illa natura secundum se est existens existentia independenti ab omni alio extra se, imo est ipsum esse a se, et per se, cum sit actus purus, de cujus formalissimo conceptu est existentia et esse a se.

Tertio, est certum naturam, divinam, seu hunc Deum secundum se, et remotis personalitatibus relativis non esse suppositum, seu personam incommunicabilem, alias essent quatuor Personæ, imo essentia ipsa si esset persona incommunicabilis, non communicaretur tribus relativis Personis, sed esset opposita illis; et sic ipsæ Personæ relativæ non essent Deus, neque divinæ, quod est hæreticum. Unde recte Eymericus in parte directorii, qu. II, art. VII et XII, erroris damnat assertum illud quod attribuitur Raymundo Lullio, nempe quod hic Deus, seu deitas, sit quoddam suppositum vel persona communis tribus Personis. Et D. Thomas in hac quæstione XXX, art. IV, infert pro magno inconvenienti quod in Deo sit una Persona trium Personarum, sicut est una essentia. Et quæstione XL, articulo III docet quod, remotis proprietatibus personalibus, non remanet hypostasis, seu Persona in divina natura.

III. His ergo tamquam certis stantibus, remanet difficultas an id quod accipitur remotis personalitatibus in Deo, seu id quod est commune tribus personalitatibus ex vi sui formalis conceptus deitatis, et essentialis non solum sit essentia significata per modum naturæ, et formæ, seu ut principium quo ipsius Dei, sed etiam sit essentia significata per modum quod, et ut concretum subsistens quantum ad rationem per se existendi, ita quod hæc perfectio per se existendi, non sit solum radicaliter in essentia et formaliter per subsequentem conceptum relationis conveniat, sed formaliter in ipso conceptu deitatis includatur, ita quod hoc sufficiat ut subsistens formaliter dicatur hic Deus, et hæc deitas, licet non sit subsistens incommunicabiliter, sicut suppositum et persona: sicut etiam datur subsistens quod non sit persona, scilicet anima rationalis, quia communicabilis est, licet sit valde dissimile exemplum, quia anima non subsistit complete, quia forma incompleta est, et indiget componere ut pars cum materia ut compositum resultet, et suppositum reddatur. At vero divina natura, non ex ratione formæ incompletæ aut partis componentis communicabiliter subsistit, sed ex summa perfectione, quia includit intra se formaliter genus relativum, quod sine pluribus relationibus stare non potest, et earum oppositione inter se debet ultimam terminationem sortiri, ipsis autem relationibus debet ipsa essentia identificari, atque adeo respectu illarum incommunicabilis esse non debet, sed per illas incommunicabilitatem sortiri.

In hac ergo difficultate duplex est sententia.

IV. Prima affirmat hunc Deum communem tribus personalitatibus relativis, illisque identificatum, se-

cundum se, seu in genere absoluti esse individuum subsistens, et concretum deitatis, ut quod, licet subsistentia illa sit communicabilis. Hanc sententiam tenet Cajetanus in hac prima parte, q. xxix, art. iv et q. xxxix, art. iv et in iii p. q. ii, art. ii et q. iii, a. ii et iii. Eum sequuntur Cabrera iii p. q. ii, a. ii, disp. ii, § v; Alvarez iii p. q. iii, art. iii; Nazarius i p. q. xxxix, art. iv, controversia i; Navarrete hic controver. xxii, et Suarez iii p. disp. xi, sect. iii et lib. iv de Trinitate, c. xi; Granados hic disp. v, sect. iii, qui citat Bagnez, et Zumel, et alios, idemque late confirmant et tenent Carmelitani hic tract. vi, disp. ix, dub. v.

Secunda sententia negat aliquid esse in Deo secundum absolutam essentiam sumptam, et præcise a tribus personalitatibus relativis, quod nomen aut munus subsistentiæ mereatur, sed solum esse tres subsistentias relativas, sicut tres hypostases, eo quod subsistentia, et hypostasis idem sunt. Ita p. Vasquez hic disp. cxxv, c. iii; Arrubal disp. cix, c. ii; Becanus c. iii, q. ix, num. vi; Alarcon tract. v, disp. iv, c. iv; Ruiz disp. xxxiv, sect. v; Lorca iii p. disp. iv; Arauso ii tomo metaph. lib. vii, q. ii, art. iii, num. xi.

MENS D. THOMÆ.

V. Sententia D. Thomæ est, dari in hoc Deo communi tribus Personis singularitatem, et subsistentiam absolutam, quæ tamen communicabilis est tribus Personis relativis. Sunt plura loca, ubi id apertissime docet sanctus doctor vocans ipsam essentiam, et divinam secundum se, et remotis tribus personalitatibus subsistentem. Ita docet in i, dist. xxi, q. ii, art. i, ubi inquit quod: «Iste terminus Deus prædicat natu-

ram divinam de tribus Personis, quæ etiam in se est habens esse subsistens, nulla intellecta Personarum distinctione.» Et in iv contra gentil. capite xiv ad v, inquit: «Essentia divina etsi subsistens sit, non tamen potest a relatione separari: hujusmodi autem relationes non sunt accidentia in Deo, sed res subsistentes: Deo enim nihil accidere potest, ut supra ostensum est: sunt ergo plures res subsistentes, si relationes considerentur, est autem una res subsistens, si consideretur essentia. Et propter hoc dicimus unum Deum esse, quia est una essentia subsistens, et plures Personas propter distinctionem subsistentium relationum.» Et concludit: «Non ergo dicenda est una Persona propter unitatem essentialis subsistentis, sed plures propter relationes.» Et in iii, dist. vi, q. ii, art. i ad ii, sic inquit: «Aliud est de Deo, et de omnibus aliis rebus, quia in Deo ipsa essentia subsistens est. Unde sibi secundum se debetur esse, imo ipsa est suum esse subsistens.» Quæ loca manifeste tribuunt divinæ essentialis subsistentiam, etiam independentem a tribus personalitatibus.

VI. Luculenter etiam rem hanc prosequitur doctor sanctus in quæstione ix de potentia, art. v ad xiii, sic inquit: «In rebus creatis principia individuanda duo habent, quorum unum est quod sunt principium subsistendi: natura enim communis de se non subsistit nisi in singularibus: aliud est quod per principia individuanda, supposita naturæ communis ab invicem distinguuntur. In divinis autem proprietates personales hoc solum habent, quod supposita divinæ naturæ ab invicem distinguuntur, non autem sunt principium subsistendi divinæ essentialis: ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens,

sed e converso proprietates personales habent quod subsistant ab essentiali: ex eo enim paternitas habet quod sit res subsistens, quia essentia divina cui est idem secundum rem, est res subsistens.» Et concludit: «Licet autem divina essentia secundum seipsam, ut ita dicam, individuatur quantum ad hoc quod est per se subsistere, tamen ipsa una existente secundum numerum, sunt plura supposita in divinis subsistentia secundum numerum.» Ita D. Thomas. Qui locus manifestissimus est.

VII. Occurrit autem Vazquez omnibus istis locis, unico verbo dicens disputatione citata, capite primo, quod congerunt aliqui innumera loca S. Thomæ pro hac sententia, quæ consulto prætermitto, quia ille ubique loquitur de actu existendi, quem appellat existentiam seu esse. Adde quod si hæc loca D. Thomæ probant de subsistentia ut distinguitur ab existentia, aut probant in Deo esse Personam absolutam, aut nihil probant. Patet hoc, nam quando D. Thomas locutus est de substantia proprie, et rigore dixit, quod si in Deo datur subsistentia abstractis personalitatibus, illa erit: Persona ergo quando negat unam esse Personam absolutam in Deo, et ponit divinam essentialis subsistere, loquitur non de substantia rigore, sed pro existentia. Minor probatur expresso testimonio D. Thomæ in iii part. quæst. iii, art. iii ad 1, ubi inquit: «Quidquid eorum quæ attribuntur Deo in abstracto secundum se consideretur, aliis circumscriptis, erit aliquid subsistens, et per consequens Persona cum sit in natura intellectiva. Sicut igitur nunc positus in Deo proprietatibus personalibus dicimus tres Personas; ita exclusis per intellectum proprietatibus personalibus, remanebit in consideratione nostra divina natura ut

subsistens, et ut Persona. » Qui locus satis manifestus est, et urgentior cæteris, quia ex summa theologia, unde postremam D. Thomæ determinationem accipimus.

VIII. Ad Vasquez respondetur responsionem illam ita generalem minus accuratam esse pro tot locis D. Thomæ in quibus ita expresse loquitur de natura divina subsistente independentem a relationibus, ut mirum sit velle Vasquez nobis obtrudere existentiam pro subsistentia in tam claris, et expressis verbis D. Thomæ. Nam expresse dicit quod divina essentia est suum esse subsistens, vel habet esse subsistens. Ubi si ly subsistens est idem quod existens, sensus erit quod Deus est suum esse existens, vel existentia existens, quod certe est inutilis repetitio. Præterea docet quod relationes sunt tres res subsistentes, et essentia est una res subsistens, quod principium subsistendi ipsis relationibus est essentia, ipsæ vero relationes sunt principia distinguenda supposita. Quod non potest accommodari existentia, cum loquatur de eo quod proprium est relationis, ut relatio est, et ut constituit suppositum, existentia autem non constituit in relatione suppositum, nec specialiter pertinet ad relationes, et Personas, sed ad attributa, et ad operationes, et ad omnia quæ in Deo sunt, nec ad existentiam pertinet constituere relationes subsistentes, sed existentes, seu extra nihil: quomodo ergo de existentia loquitur, quando dicit quod ex essentia redduntur subsistentes relationes? Quomodo etiam dicit, quod licet essentia sit subsistens, non tamen est una Persona, sicut tres relationes, si essentiam subsistentem acciperet pro existente? Ex eo enim præcise quod existens sit, nulla involvitur dubitatio quod Persona esse possit, magis quam de quocumque

attributo, quod etiam existens est. Sensus ergo est quod D. Thomas loquitur de subsistentia, ut distinguitur contra existentiam: de hac enim dubitatio esse poterat, an sit Persona si est subsistens, quod de existentia non poterat dubitare. Ac denique intolerabile inconueniens est dicere, quod D. Thomas qui tam formaliter, et ad normam scholasticæ regulæ loquitur, ita abusive, et improprie loquatur, ut subsistentiam sumat pro existentia, præsertim cum S. Thomas declarare velit non solum quod essentia sit existens, sed modum proprium talis existentia, nempe quod sit per se, quod est subsistentia proprie.

IX. Ad id quod additur ex loco tertie partis dicimus S. Thomam ibi loqui de consideratione naturæ divinæ circumscriptionibus negativæ, quia loquitur de ea præcisione, qua remaneret divina essentia, sicut Judæi illam intelligunt, et qui non habent fidem Trinitatis, ut dicit ibi solutione ad secundum, et idem affirmat in III, dist. V, qu. II, art. III, ubi eadem prorsus difficultatem tractat. Non autem loquitur de essentia divina considerata solum præcise, et secundum id quod habet ex se, cum in aliis innumeris locis affirmat naturam sic consideratam esse subsistentem. Imo si perspicaciter consideretur D. Thomæ mens in illo loco tertie partis, potius ex illo confirmatur sententia dicta, quod in Deo secundum se datur subsistentia absoluta, tum quia non solum de essentia, sed de quocumque attributo, et de quacumque re, quæ attribuitur Deo, dicit, quod est subsistens, et suppositum, et Persona, quia in Deo idem est quo est, et quod est. Et tamen constat quod attributa significata, ut propria quædam passiones ut misericordia, justitia, immensitas, potentia, etc. non significantur ut

Personæ incommunicabiles, et totaliter completæ, licet sint subsistentes communicabiliter ut quod. Non ergo sumit ibi personam pro subsistente incommunicabili, sed pro subsistente rationalis naturæ, sive communicabiliter se habeat, sive non: dicit enim ibi D. Thomas quod: « Quidquid attribuitur Deo, est subsistens, et per consequens Persona, quia est intellectualis natura. » Solum ergo sumit personam pro subsistente naturæ intellectualis, et non amplius. Tum etiam quia D. Thomas loquitur de subsistentia divinæ naturæ qualiter maneret, si circumscriberentur personalitates relative. Et dicit, quod illis circumscriptionibus (scilicet negativæ) maneret natura divina ut subsistens, et Persona, quia videlicet tunc non haberet relationes quibus incommunicabilis remaneret, nec oppositionem inter se haberent tres Personæ distinctæ; et sic per seipsam esset incommunicabilis, et assumere posset ad se naturam humanam. Ergo modo illa natura habet tres personalitates, et talem subsistentiam, quæ tunc remotis illis esset persona, et pro illo casu quo tollerentur personalitates vocatur a D. Thoma persona: ergo pro nunc subsistentiam veram, et propriam habet, non solum existentiam, quia illam modo habet, quæ tunc esset persona, si quidem ipsa natura modo per seipsam est quo et quod, ut ibi dicit solutione ad primum, et ex hoc habet esse subsistens. Modo ergo habet esse subsistens, quod tunc (scilicet remotis relationibus) esset persona.

FUNDAMENTUM EX RATIONE.

X. Quod esse divinum, et divina essentia ex sua absoluta ratione, et perfectione sit subsistens, et independens in ratione existendi per se

a relationibus probatur, quia divina natura ex se, et independentem a relationibus est actus purus, et constituitur per ipsum esse tamquam per prædicatum essenziale, et intrinsicum: ergo habet esse per se, et independens, seu absolutum ab omni existentia in alio, sive tamquam pars tota, sive tamquam accidens in subjecto. Patet consequentia, quia natura divina nunquam potest concipi ut pars, et multo minus ut accidens, nec esse illius ut partiale, aut dependens a relationibus, ut per illas, et ratione illarum esse naturæ reddatur perfectum, et independens, et per se, sed totam perfectionem existentia, et substantia habet a se, et ex prædicatis essentialibus, et quidditativis. Ergo si ex se, et ex vi generis absoluti antequam intelligatur genus relativum in Deo habet esse perfectissimum, et infinitum, et in actu puro, et independentem a relationibus, quia habet illud tamquam prædicatum essenziale, et omne essenziale est antequam ad notionalia, et relativa, consequenter illud esse absolutum antecedenter ad omnem conceptum relativum, est esse non in alio, nec tamquam pars, nec tamquam accidens, quia utrumque est conceptus imperfecti esse, et repugnat cum esse per modum actus puri, et perfectissimi, et a se. Antecedens autem supra positum est per se notum, scilicet quod divina essentia per seipsam sit actus purus, et ipsum esse, cum per hoc discernatur esse divinum a creato, quod divinum est ipsum esse a se, et omni potentialitate carens, nec est aliud divina essentia, quam ipsum esse, nec per alium conceptum, sed per seipsam essentialiter, et intrinsicè est esse actus puri: nec enim per relationes essentia divina habet esse, sed per ipsam relationes esse habent.